Vir clarissime, ac doctissime, ut pro benevolentia er-
ga me tua, quâ fretus ad te confugio, mihi quid eli-
gendum sit, quidq; aliis membris Ecclesiæ nostræ me
quotidiè super hac re consulentibus, respondere de-
beam, quàm primùm fieri poterit, rescribere digneris.
Facies mihi, ac multis suis rem longè gratissimam,
meq; tibi jam multis nominibus obstrictum, arctis-
simè devinxeris. Benè ac feliciter Vale cum tuis.
Francofurto a. d. 23. Febr: Anno 1606.

Rev.tiæ ac Dignitatis Tuæ
Addictissimus
Isaacus Genius.

Isaaco Genio. 69.

Inaudieram aliquid, Reverende frater, de vestra
συζητήσει ex N. et gratum fecisti, quod rem totam ipse
nobis communicasti. Sed ferrea jampridem corda ge-
runt, quia citiùs omnia summis in Ecclesia sunt permi-
sturi, seq; cum suis in Romanæ abyssi puteum rur-
sus præcipitaturi quàm ut livori suo modum statu-
ant, eumq; quâvis occasione datâ in nos exsatient:
quæ quidem consideratio vel sola vobis consilium,
in præsens dictabit, ut ad patientiam vos com-
ponatis, aut sedem isthic haud diu vobis promit-
tatis. Non autem dubito ex composito et sociorum
consensu fecisse unum, quicquid in re protervè
est factum. Tuam verò Apologiam temperatam,
nec immoderatam fuisse judico. Neq; enim tutum
erat silere ad tam atroces injurias. Senatus
porrò, etsi non faciat satis petitioni vestræ de
integro ministerio vobis concedendo, non tamen

ad querelas vestras omninò alienè respondisse
mihi videtur, quod factum doleret: haud du-
biè intemperiem Ministri sui se improbare o-
stendens: quodq, ne deinceps tale quid accideret,
se curaturum polliceretur. Tertium vos offendit,
quod consultum fore judicavit, ut Ministri infan-
tes aliorum, testes fortè rogati, non ipsi, sed per a-
lios offerrent. Quod quia cum aliqua juris vestri et li-
bertatis prioris diminutione conjunctum videtur,
vos ad denuò instandum permovit, sed frustrà: Sena-
tu persistente in priore decreto, infantes vestros
baptizatum iri ut antehac: et Ministros non per
se, sed per alios suscipere aliorum infantes debere
in quo sanè duo vos torquere intelligo: unum, quod
veremini, ne particula, ut antehac referri pos-
sit ad actum et antithesin Adversarii tui. Alte-
rum, quod libertas vobis concessa nunc diminui
videtur. Ego ponderatis omnibus, quæ scripsi-
sti, in priori ambiguitatem nullam observo,
sed candidè accipiendum judico; Infantes
vestros ut antehac, hoc est, ut ante istam ...
...ziv, ita deinceps juxta consuetam formam ab
iisdem baptizandos esse. Ut sic accipiam facit
primum Senatus responsum, quo se non dele-
ctari iis, quæ acciderant, significavit: quod sine
dubio de toto actu, nec minus, immò potiùs
de sui Ministri importunitate, quàm de tua
justissima Apologia intelligi voluit. Facit etiam,
quod consul interrogatus dixit, infantes vestros
baptizari in fidem universalem sive catholicam,
prudenter et verè; id ipsum enim responsum

fuit anno 78. in Synodo Neustadiana, cujus ego indignus
eram Notarius, plurimis sciscitantibus; utrum conciones
Lutheranorum (qui tunc recens Palatinatum invaserant)
audire: liberos suos ipsis baptizandos offerre: eorum
denique Eucharistiam sumere per conscientiam liceret? Con-
ciones quidem, quoad non in apertas erumperent bla-
sphemias atque calumnias, frequentandas esse: posita sem-
per in oculis Pauli regulâ: Omnia probate, quod bonum
est tenete: et domesticâ catechisatione simul diligen-
ter observatâ: ne obreperet nostris Ministerii et verbi
contemtus: infantes etiam, quos ad vicinos efferre tuti
nequirent, vel non auderent, baptismo illis offerri posse:
tum quod formula Palatina Lutherana nihil haberet
incommodi: tum quod Minister non in fidem suam,
nec in fidem Ecclesiae sectariae, sed in fidem Apostolicam
Ecclesiae Apostolicae baptizaret. Ad Synaxin verò
eorum nequaquam veniendum: tum quod Orthodoxi vi-
cinas haberent Ecclesias, tum quod communicatio cum
sectaria Ecclesia falsae et ubiquitariae doctrinae appro-
batio, verae autem, quam illi publicè damnabant,
abnegatio futura esset, sive verè, sive in speciem.
Quae ideò nunc repetenda adte duxi, ut quid de Ba-
ptismo vobis antehac ibi à Lutheranis administra-
to mihi videatur, simul intelliges, et tali sententiâ
illius Synodi tuos magis confirmes. In altero pruden-
tiam potius Senatus, quam libertatis vestrae periculum
videre mihi videor. Quomodo enim Senatus curabit (quod
securaturum recepit) ne quid tale deinceps accidat,
si occasiones non praecidat? Scit indomitam esse lin-
guam δημαγωγῶν, qui ad conspectum vestrum morbillum
suam vomant: quippe quos aura popularis magis ad auda-
ciam armare, quàm authoritas Magistratus frenare soleat.

Non igitur vestro periculo, sed potius bono id mihi qui-
dem invenisse videtur remedium, ne ipsi vos ad bapti-
smum illorum accedatis. Etsi igitur malitia eorum omni-
nò est detestanda: tamen cum Senatus hoc medio inven-
to, civili et adiaphoro, nec injuriam Ecclesiae vestrae,
nec ministrorum vestrorum contumeliam, sed tran-
quillitatem communem spectare videatur: nec id, quod
vult fieri, conscientias vestras laedat, (quis enim ad has
interesse, vel per alium charitatis hoc subire offi-
cium?) rari etiam casus ejusmodi accidere soleant,
immò ut rarissimè accidant, ipsi cavere possitis atq-
etiam cavere debeatis: in eam omninò venio senten-
tiam, potius tibi, et vestris injuriam hanc mussitan-
dam, inq; Senatus arbitrio acquiescendum, quàm scan-
dalum sub hoc lapide metuendum, aut cum Ecclesiae gra-
viore periculo aliquid porrò moliendum esse.
Uxorem tuam gravidam (cui Dominus benedicat) partus
causâ potius, quam aliam quamvis, urbe excedere, con-
sultum non videtur: ne quod metuis periculum incur-
ras, neve (quod est gravius) aliis scrupulum injicias.
Prolem igitur quam tibi dabit divina benedictio, vel
scripto, vel per amicum baptismo sisterem, ne per tu-
am praesentiam nova vobis creetur molestia. Siquid
perperam illi admittent, tibi integrum erit ad magi-
stratum querimonia. Haec, mi frater, habui nunc,
quae tibi consulerem, salvâ meliore tuâ et aliorum
sententiâ. Mitto tibi Chronologicam Orationem, quo ge-
nere argumenti te delectari scio. Tu ingenuè, sicubi hae-
rebis, me commonefacias. Neq; enim mihi persuadeo,
quod solus rem acu tetigerim, aut tangere possim. Sed alii
profecti minus hactenus. Saluta ex me meaq; conjugem tu-
am dulcissimam. Vale Heidelbergae 27. Febr: 1686.